BREVE S.MI D. N. D. CLEMENTIS PAPAE VIII.

Contra fratres Ambientes Ordinis Cruciferorum.



ROMAE, M.D CIV.

Ex Typographia Cameræ Apostolicæ.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem niſi vocatus à Deo tanquàm Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valde alienum eſt, vt religioſi viri quos honorum & dignitatum gradus, ſanctitate vitæ, ac alijs religioſis virtutibus potius promereri, quàm appetere, eosq; gradus cum ad eos aſſumuntur, obedienter ſuſcipere, ſuſceptosq; humiliter adminiſtrare decet: mendicatis, ſæculariũ præſertim perſonarum ſtudijs, ad eos ſibi aditum patefacere contendant, vnde magna in eccleſia Dei pernicies adferri ſolet. Nos qui pro muneris noſtri debito, in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, vt eccleſiaſtica regularisq; diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum cenſuimus.

Cum itaque, ſicut accepimus quidam in ordine Congregationis Cruciferorum profeſſionis, & regulæ quam profeſſi ſunt, penitus immemores; nimiaq; dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum in dicta Congregatione conſequendorum ambitione ducti, pro ijs conſequendis, Eccleſiaſticorum, & ſæculariũ principum ſtudia requirant, & à S. R. E. Cardinalibus, alijsq; Prælatis commendatitias literas aliosq; *Cauſa motiua ipſius breuis.*

fauores & gratias propterea expectant: quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minimè cõfidunt, gradus & dignitates, in eadem Congregatione cõsequi valeant: sicq; eiusdem Congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbãt.

Nos malum hoc ab eodem ordine & Congregatione, cuius prosperum regimen, & incrementum ad ecclesiæ sanctæ vtilitatem sinceris exoptamus affectibus pro nostra pastorali solicitudine propellere summopere cupientes.

Fauores extra religionẽ non requirẽdi.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eos omnes & singulos fratres dicti Ordinis & Congregationis cuiuscũq; status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti ordinis, & congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumq; personarum, tã sæcularium, quàm ecclesiasticarum de gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacũq; sæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium fauores recurrerint.

Pœnæ eorũ qui fauoribus vsi sunt etiam nõ requisitis.

Vel etiam pactis, pollicitationibus, alijsq; vijs directè, vel indirectè, palam, vel occultè, ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspirauerint, vel alijs minus legitimis & honestis rationibus ea obtinere quæsiuerint, aut etiam spontè oblatis, & minimè conquisitis vsi fuerint, illorumq; cõplices, & fautores, ad quascũq; prælaturas, dignitates,

tes,

tes, & officia, gradusq́;, honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officijs huiusmodi eo ipso priuamus, ac priuatos voce tam actiua, quàm passiua carere decernimus & declaramus.

Pœna eorũ qui pro fauoribus aliquos ad dignitates, & officia admittunt.

Atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus dicti Ordinis, & Congregationis, Fratribus, Superioribusque, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori Generali, præsentibus & futuris, præcipimus districtèq; mandamus, ne quempiam vllo tempore, precibus, literis, vel fauoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcunque, tam secularium, quàm Ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cuiusuis generis, prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promouere, vel pęnas aliquas remittere audeant, vel præsumant.

Electiones ex fauoribus inualidæ.

Decernentes electiones & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Congregationis contra præsentium dispositionem, (quòd absit) quandocunque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, inualidasq; fore, & esse, nullisq; viribus subsistere. Ac omnes & singulos in præmissis delinquentes nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter

eo ipso

eo ipſo incurrere, & ad illos ſententias, & pœnas præmiſſas, damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omninò conuincendnm, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces & fauores etiam oretenus porrectas plenam, indubiam, & ſufficientem in iudicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Ablata omnis facultas ſuper hoc definien. & iudican. & interpretandi.

Et ita per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & deffiniri debere, ac irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs Editis, Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis, & Congregationis huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis incontrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis.

Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrarijs quibuſcunque.

Indultum Apoſtolicæ Sedis non cõtrariatur huic breui.

Aut ſi prædictis Fratribus, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non

facientes

facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Vt autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis Congregationis Fratres facilius deueniat, Volumus illas in Generali Capitulo dictæ Congregationis publicè legi, illasq; in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitimè vnicuique intimatæ fuissent, illarumq; exemplis etiam impressis manu scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Prioris Generalis ipsius Congregationis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eędem exhiberentur. Datum Romæ, Apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die 23. Iulij 1604. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

M. Vestrius Barbianus.